

deponeret, subsisteret homo ille per se in natura rationali, & ex hoc ipso acciperet rationem personae.

Ad quartum dicendum, quod consumere dicitur proprie destruere quod extitit; & secundum hoc persona consumpsisset personam, si persona Verbi assumpsisset hominem primo existentem. Sed improprie dicitur etiam consumi quod impeditur ne fiat. Et quia persona divina, quae assumpsit humanam naturam, impedit quod natura humana habeat propriam personalitatem; ideo dicitur consumpsisse personam, quamvis improprie: unde non est ex hoc ostendendum.

## EXPOSITIO TEXTUS.

**N**EC Divinitas (inquit) Christi aliena est à natura Patris, nec humanitas à natura matris. Contra. Christus communicat cum Patre in una natura numero, cum matre vero non. Ergo non est recta similitudo. Dicendum, quod non oportet quod sit similitudo quantum ad omnia, sed sufficit quod sit quantum ad aliquid.

Cum (inquit) de Christo audis, quia in forma Dei erat, oportet agnoscere firmissimeque tenere, in illo forma nomine naturalem plenitudinem debere intelligi. Sciendum, quod natura divina dicitur forma, non quod sit actus alicujus naturae, sed quia non habet partem sui (2) naturam, nec aliquid potentialitatis in ipsa est. Natura vero humana dicitur forma, non quia comprehendit principia tantum formalia (comprehendit enim & formam, & materiam) sed per modum quo quidditas compositi dicitur forma totius.

Solum Verbum carnem Trinitas fecit. Pars ponitur

## DISTINCTIO VI.

De intelligentia harum locutionum, scilicet Deus factus est homo, Deus est homo: an his locutionibus dicatur Deus factus esse aliquid, vel non.

**E**X praemissis autem emergit quaestio plurimum continens utilitatis, sed nimium difficultatis, atque perplexitatis. Cum enim constet ex praedictis, & aliis pluribus testimoniis, omnesque catholici unanimiter fateantur, Deum esse factum hominem, & Jesum Christum Deum verum esse, & verum hominem; quaeritur an his locutionibus: „Deus factus est homo: Filius Dei factus est filius hominis: Deus est homo, & homo est Deus:“ dicatur Deus factus esse aliquid, vel esse aliquid; vel aliquid dicatur esse Deus: & an ita conveniat dici: „Homo factus est Deus: & Filius hominis factus est Filius Dei:“ sicut è converso dicitur: & si ex his locutionibus non dicitur Deus factus esse aliquid, vel esse aliquid; quae sit intelligentia harum locutionum, & similitum. In hujus profunditatis reseratione, & scrupulosae quaestionis expositione plurimum differre inveniuntur sapientes.

Quorundam sententiam refert.

**A**lii enim dicunt; in ipsa Verbi incarnatione hominem quemdam ex anima rationali, & humana carne constitutum, ex quibus duobus omnis verus homo constituitur, & ille homo cepit esse Deus (non quidem natura Dei, sed persona Verbi) & Deus cepit esse homo ille. Concedunt etiam, hominem illum assumptum à Verbo, & unitum Verbo; & tamen esse Verbum. Et ea ratione tradunt dictum esse, Deum factum hominem, vel esse hominem: quia Deus factus est, id est cepit esse quaedam substantia ex anima rationali, & humana carne subsistens; & illa substantia facta est, id est cepit esse Deus; non tamen demigratione naturae in naturam; sed utriusque naturae servata proprietate factum est ut Deus esset illa substantia, & illa substantia esset Deus: unde vere dicitur: Deus factus est homo, & homo factus est Deus, & Deus est homo, (2) & homo Deus, & Filius Dei Filius hominis, & è converso. Cumque dicant illum hominem ex anima rationali, & humana carne subsistere, non tamen fatentur ex duobus naturis esse compositum, divina scilicet, & humana; nec illius partes esse duas naturas, sed animam tantum, & carnem.

(1) Forte materiam. (2) Al. additur Deus.

Auctoritates ponuntur, quibus suam muniunt sententiam.

**E**T ne de suo sensu tantum loqui putentur, hanc sententiam pluribus muniunt testimoniis. Ait enim Augustinus in Lib. XIII. de Trinit. (cap. XIX.) (3) „Cum lego, Verbum caro factum est, in Verbo intelligo Dei Filium verum, in carne agnosco verum Filium hominis, & utrumque simul (4) in una persona Dei, & hominis ineffabili gratiae largitate conjunctum.“ Item in Enchir. (cap. XXXVIII.) „Christus Jesus, Deus de Deo est; homo autem natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: utraque substantia, divina scilicet, & humana, Filius est unicus Dei Patris omnipotentis, de quo procedit Spiritus Sanctus: utrumque unus; sed aliud propter Verbum, & aliud propter hominem: nec duo filii Deus, & homo: sed unus Dei Filius: Deus sine initio, homo à certo initio.“ Item in eodem (Lib. cap. XXXV.) „Quid natura humana in Christo homine meruit, ut in unitatem personae unicus Filii Dei singulariter assumpta esset? Quae bona opera praecesserunt, quibus mereretur iste homo fieri una persona, na cum Deo? Numquid antea fuit homo, & hoc ei singulare beneficium praestitum est ut singulariter promeretur Deum? Nempe ex quo homo esse cepit, non aliud cepit esse homo quam Dei Filius; & hic unicus, & propterea Dei Verbum, (5) quod illo suscepto caro factum est, utique Deus: ut quae sona, Verbum, & homo.“ Idem super Joan. (cap. XVII.) „Agnoscamus geminam substantiam Christi, divinam scilicet, quae aequalis est Patri, & humanam, quae minor est Patre. Utrumque autem simul, non duo, sed unus est Christus, ne sit quaternitas, non trinitas Deus: ac per hoc Christus est Deus, à Verbo Patri coaeterno in unitatem personae assumptus Filius Dei unigenitus (cap. XV.) Ille homo, ut quod eius bonum praecessit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? Faciente, ac suscipiente Deo Verbo; ipse homo ex quo esse cepit. Item (ibid.) Homo quicumque ita gratia fit Christianus, sicut gratia homo ille ab initio factus est Christus. Idem in Lib. XIII. de Trinit. (cap. XVI.) Gratia Dei nobis in homine Christo commendatur: quia nec ipse, ut tanta unitate Deo (6) Verbo conjunctus, una cum illo persona Filius Dei fieret, ullis est praecedentibus meritis assecutus; sed ex quo homo esse cepit, ex illo est & Deus: unde dictum est (Joan. 1. 4.) Verbum caro factum est. Hilarius quoque in Lib. X. de Trinit. (post med.) Christum non ambigimus esse Deum Verbum; neque rursus filium hominis ex anima, & corpore constituisse ignoramus. „His, aliisque auctoritatibus utuntur qui hominem quemdam ex anima rationali, & carne compositum Deum factum dicunt; sed gratia, non natura. Sola enim gratia habuit ille homo, non meritis, vel natura, ut esset Deus, sive Filius Dei: ut haberet omnem scientiam, & potestatem quam habet Verbum, cum quo est una persona. Nec tantum in superioribus legitur, quod homo ille sit una persona cum Verbo, & sit ipsum Verbum, sed etiam quod anima rationalis, & caro eadem persona sit, & Christus sit, & Deus.“

Aliorum sententia.

**S**unt autem & alii qui istis in parte consentiunt, sed dicunt hominem illum non ex anima rationali, & carne tantum, sed ex humana, & divina natura, id est ex tribus (7) substantiis, Divinitate, carne, & anima constare: & hunc Jesum Christum fatentur, & unam personam tantum esse, ante incarnationem solummodo simplicem, sed in incarnatione factam compositam ex Divinitate, & humanitate; nec est ideo alia persona quam prius; sed prius cum esset Dei tantum persona, in incarnatione facta est etiam hominis persona: non autem ut essent duae personae, sed ut una & eadem esset persona Dei & hominis. Persona ergo quae prius erat simplex, & in una tantum natura existens, in duabus, & ex duabus subsistit naturis; & persona quae tantum erat Deus, facta est etiam verus homo subsistens, non tantum ex anima, & carne, sed etiam ex Divinitate: nec tamen persona illa debet dici persona, quamvis dicatur facta persona hominis. Facta est igitur illa persona (ut quibusdam placet) quidam subsistens ex anima, & carne; sed non est facta persona, vel substantia, vel natura: & in quantum est illud subsistens, composita est; in quantum autem Verbum est, simplex est.

Auctoritates etiam ponit quae hanc probant sententiam.

**D**E hoc Augustinus in Lib. Sententiarum Prosperi (a) ait: „Modis omnibus approbare contendimus, sacrificium Ecclesiae duobus constare, ac duobus confici: visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri Jesu Christi carne, & sanguine; sacramento, & re sacramenti, id est corpore Christi; sicut Christi persona constat, & conficitur ex Deo, & homine; cum ipse Christus verus sit Deus, & verus homo: quia omnis res, illarum rerum naturam, & veritatem in se continet ex quibus conficitur. De hoc eodem Joannes Damascenus ait (Lib. III. de Fide orth. cap. v. post princip.) In Domino nostro Jesu Christo duas quidem naturas cognoscimus; unam autem hypostasim ex utrisque compositam. (Et cap. VII.) Incarnatus est igitur Christus, ex Virgine assumens primitias nostrae massae, ut ipsa extiterit in carne hypostasis quae Dei Verbi hypostasis (8) & composita fuerit quae prius simplex III. Sent. Tom. III. K  
(3) Al. Cum legitur. (4) Al. unam personam, Deum & hominem, ineffabili, &c. (5) Al. quia est ab illo suscepta caro, facta est utique Deus. (6) Al. vero. (7) Al. subsistentis. (8) Al. additur facta.  
Ex EDIT. P. NICOL. (a) Sic etiam refertur in Decret. de consecrat. dist. 11. cap. Hoc est; sed inter Sententias Prosperi quas ex Augustino collegit, nihil tale, licet in sent. XXXI. dicat: Sic est veritas Christus, verum Verbum Dei, Deus aequalis Patri, vere caro, verus homo. Quae autem hic notantur, haber Lanfrancus, ex quo & Ivo citat, ut & Algerus, qui ex Prospero Sententia refert, sicut & hic.

Aucto-

erat Verbi hypostasis; composita vero ex duabus perfectis naturis, & Divinitate, & humanitate; & ferat ipsa divinæ Dei Verbi filiationis characteristicum, & determinatum idioma, secundum quod visa est à Patre, & Spiritu Sancto; & carnis characteristicum, & determinativa idiomata, secundum quæ differat à matre, & reliquis hominibus. Item (cap. 111.) Unam hypostasim Filii Dei constitemur in duabus naturis perfecte se habentibus, Deitatis, & humanitatis; & incarnatam eandem hypostasim: & has duas naturas custodiri, & manere in Christo post unionem: non seorsum, & secundum partes ponentes singulam, sed unitas invicem in unam compositam hypostasim. Substantialem enim in quibus unionem, scilicet veram, & non secundum phantasiam. Substantialem autem, non duabus naturis perficientibus alteram, scilicet unam compositam naturam; sed unitas invicem in unam hypostasim compositam Filii Dei, & manere eandem substantialem differentiam determinamus. Quod creabile mansit creatibile, & quod increabile, increabile, & mortale, mortale, & immortale, immortale, & circumscribibile, & quod increabile, increabile, & mortale, mortale, & immortale, immortale, & circumscribibile, & quod increabile, increabile, & mortale, mortale, & immortale, immortale, & circumscribibile: & hoc quidem refulget mirabile, circumscribibile, & incircumscribibile, incircumscribibile: & hoc quidem refulget miraculis, (9) illud subjacet injuriis. De hoc etiam Augustinus in Lib. de Trinit. (b) (I. cap. VII.) ait. Quemadmodum secundum Deitatem una est Patris, Filiique natura; ita etiam juxta humanitatem eadem est matris, & filii natura. Ex utraque autem substantia, & Divinitatis, & humanitatis, unus atque idem est Deus, Dei, & hominis Filius, Jesus Christus, ut Deus verus, ita etiam homo verus. Item in Lib. XIII. de Trinit. (cap. XVII.) Sic Deo conjungi potuit humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona; ac per hoc jam ex tribus, Deo, anima, & carne. His, aliisque pluribus se muniunt auctoritatibus qui dicunt, personam Christi esse compositam, vel factam, sive constantem ex duabus naturis, sive ex tribus substantiis.

## Tertia aliorum sententia.

Sunt etiam alii qui in incarnatione Verbi non solum personam ex naturis compositam negant, verum etiam hominem aliquem, sive etiam aliquam substantiam ibi ex anima, & carne compositam, vel factam diffidentur; sed sic illa duo, scilicet animam, & carnem, Verbi personæ, vel naturæ unita esse ajunt, ut non ex illis duobus, vel ex his tribus aliqua substantia, vel persona fieret, sive componeretur; sed illis duobus velut indumento Verbum Dei vestiretur, ut mortalium oculis congruenter appareret: qui ideo dicitur factus verus homo, quia veritatem carnis, & animæ accepit: quæ duo etiam in singularitatem, vel unitatem suæ personæ accepisse legitur, non quia illa duo, vel aliqua res ex illis composita, sit una persona cum Verbo, vel sit Verbum; sed quia illis duobus accedentibus Verbo non est personarum numerus auctus, ut fieret quaternitas in Trinitate; & quia ipsa persona Verbi, quæ prius erat sine indumento, assumptione indumenti non est divisa, vel mutata; sed una eademque immutata permansit: quia secundum habitum Deum hominem factum dicunt: accipiendo enim hominem, dictus est Deus factus secundum habitum Deum hominem dicitur Deus verus esse homo; & propter assumptam Deum dicitur homo esse Deus. Nam si essentialiter, inquit illi, Deus esse homo, vel homo esse Deus intelligeretur; tunc si Deus hominem assumpsisset in sexu muliebri, & mulier essentialiter Deus esset, & e converso. At potuit Deus assumpsisse hominem in sexu muliebri, potuit igitur mulier esse Deus, & e converso.

## Auctoritates inducit quibus hæc sententia roboratur.

NE autem & isti de suo influere videantur, testimoniis in medium productis, quod dicunt, confirmant. Ait enim Augustinus in Lib. de gratia novi testamenti (c) (cap. IV.) Sicut non augetur numerus personarum cum caro accedit animæ, ut sit unus homo; sic non augetur numerus personarum, cum homo accedit Verbo, ut sit unus Christus. Legitur itaque Deus homo, ut intelligamus ejus personæ singularitatem, non ut suspicemur in carnem mutatam Divinitatem. Idem quoque tractans illud verbum Apostoli (Philip. 11.) Habitu inventus ut homo, manifeste ostendit Deum dici factum esse hominem, vel esse hominem secundum habitum, in Lib. LXXXIII. Questionum (quæst. LXXXIII.) ita inquit. Multis modis habitum dicimus: vel habitum animi, sicut disciplinæ perceptionem usu firmatam; (10) vel habitum corporis, sicut dicimus alium alio validiorem, vel habitum eorum quæ membris accommodantur extrinsecus, ut cum dicimus aliquem vestitum, calceatum, & hujusmodi: & in omnibus generibus manifestum est in ea re dici habitum quæ accidit alicui, ita ut eam possit etiam non habere. Hoc autem nomen dictum est ab illo verbo quod est habere. Habitus ergo in ea re dicitur quæ nobis, ut habetur, accedit, vel accedit. Verumtamen hoc interest, quia quædam eorum quæ accedunt, vel accidunt, ut habitum faciant, non mutantur; sed ipsa (11) nos mutant, in se integra, & inconcussa manentia; sicut sapientia (12) accedens homini, non ipsa mutatur, sed hominem mutat, quem de stulto sapientem facit. Quædam vero sic accedunt, vel accidunt, ut mutant, & mutantur, ut cibus, qui amittens speciem suam in corpus vertitur; & nos cibo refecti ab exilitate, atque languore in robur, atque valentiam mutamur. Tertium genus est, cum ea quæ accidunt, nec mutant ea quibus accidunt, nec ab eis ipsa mutantur, sicut anulus positus in digito: quod genus rarissime reperitur. Quantum genus est cum quæ (13) accidunt mutantur, non à sua natura: sed aliam speciem, & formam accipiunt, ut est vestis,

(9) Al. omittitur illud subjacet injuriis. (10) Omittitur in editione Nicolai vel habitum corporis, sicut dicimus alium alio validiorem. (11) Al. deest nos. (12) Nicolai: accedens, vel accedens. (13) Nicolai: accidunt, vel accedunt.

Ex EDIT. P. NICOL. (b) Vel potius serm. 1. de Trinit. qui est sermo cxciii. de tempore, non Lib. I. de Trinit. ubi expresse non habetur, sed implicite tantum ex cap. VII. & VIII. colligi potest. (c) Idest epist. cxx. quam Honorato scripsit, & quæ propter prolixitatem Liber, propter tractationem vero de gratia novi testamenti vocatur.

quæ dejecta, atque deposita, non habet eam formam quam sumit induta. Induta enim (14) membris accipit formam quam non habet exuta: quod genus congruit comparationi huic. Deus enim Filius semetipsum exinanivit, non formam suam mutans, sed formam servi accipiens; neque conversus, aut transmutatus hominem amissa incommutabili stabilitate, sed in similitudinem hominum factus est ipse susceptor, (15) & tamquam verum hominem suscipiendo; habitu inventus est ut homo; idest, habendo hominem, inventus est ut homo, non sibi, sed eis quibus in homine apparuit. Quod autem dicit, ut homo, veritatem exprimit. Nomine ergo habitus (16) sane significavit Apostolus qualiter dixerit, in similitudinem hominum factus: quia non transfiguratione in hominem, sed habitu factus est, cum indutus est hominem: quem sibi uniens quodammodo, atque conformans, in mortalitati, æternitatem sociaret. Non ergo oportet intelligi mutatum esse Verbum susceptione hominis, sicut nec membra veste induta mutantur, quamvis illa susceptio ineffabiliter susceptum suscipienti copularet. His verbis aperte innuere videtur Augustinus Deum dici factum hominem secundum habitum: qui etiam ipsius incarnationis modum volens exprimere, querentibus in IV. Lib. de Trinit. (cap. XXI.) ait: Si queritur, ipsa incarnatio quomodo facta est; ipsum Verbum Dei dico carnem factum, idest hominem factum. Non tamen in hoc quod factum est, conversum, atque mutatum; sed carne, ut carnalibus congruenter apparet, indutum. Ita sane factum, ut ibi sit non tantum Verbum Dei, & hominis caro, sed etiam rationalis hominis anima: atque hoc totum & Deus dicatur propter Deum, & homo propter hominem. Quod si difficile intelligitur, mens fide purgatur, à peccatis abstinendo, & bona operando. Difficilia enim sunt hæc. Idem (immo Fulgentius) in Libro de Fide ad Petrum (cap. 11.) Deus Filius, cum sit Deus æternus, & verus, pro nobis factus est homo verus, & plenus. In eo verus, quia veram habet ille humanam naturam: in eo vero plenus, quia & carnem humanam suscepit, & animam rationalem. Item (ibid. versus fin.) Non aliud fuit illa Dei summi exinanitio nisi formæ servilis, idest naturæ humanæ, susceptio. Utraque igitur est in Christo forma, quia utraque vera, & plena est in Christo substantia, divina scilicet, & humana. Idem (Augustinus) (d) in Lib. contra Maximinum (II. cap. XI.) Cum esset per se ipsum invisibilis, visibilis in homine apparuit, quem de femina suscipere dignatus est. Item in eodem. (e) Nos in Christum Deum verum hominem suscepisse credimus, & in Christo visibiliter invisibilem hominibus apparuisse, in ipso inter homines conversatum fuisse, in ipso ab hominibus humana pertulisse, in ipso homines docuisse. Hilarius quoque in X. Lib. de Trinit. ait: Quomodo Dei Filius ex Maria est, nisi quod Verbum caro factum est? Scilicet quod Filius Dei cum in forma Dei esset, formam servi accepit. Unum tamen eundemque non Dei defectione, sed hominis assumptione profuerunt, & in ipsa forma Dei per naturam divinam, & in forma servi ex conceptione Spiritus Sancti, secundum hominis habitum repertum fuisse: non fuit habitus, ille tantum hominis, sed ut hominis; neque caro illa caro peccati, sed in similitudinem carnis peccati. Audistis tres secundum diversos positas sententias, & pro singulis inducta testimonia.

## EXPOSITIO TEXTUS.

POSTquam Magister determinavit de incarnatione Dei, hic determinare incipit condiciones Dei incarnati. Dividitur autem hæc pars in duas. In prima determinat de his quæ conveniunt Deo incarnato ratione unionis; in secunda de his quæ pertinent ad naturam assumptam absolute, dist. XIII. ibi: Præterea sciendum est. De his enim quæ absolute pertinent ad divinam naturam, determinatum est in I. Lib. Prima autem pars dividitur in duas. Primo determinat de his quæ dicuntur de Deo incarnato, exprimentia ipsam unionem, sicut quod dicitur: Deus est homo, vel factus est homo. In secunda determinat de his quæ conveniunt ei consequenter ad unionem, dist. VIII. ibi: Post prædicta inquiri debet, utrum de natura divina concedendum sit quod de Virgine sit nata. In prima movet questionem de locutionibus exprimentibus unionem. In secunda ponit diversas opiniones de modo unionis, ibi: Alii enim dicunt. In tertia ostendit quomodo intelliguntur diversimode prædictæ locutiones secundam diversas opiniones, dist. VII. ibi: Secundum primam vero dicitur Deus factus homo, & homo factus Deus. Alii enim dicunt in ipsa Verbi incarnatione hominem quemdam ex anima rationali, & humana carne

In III. Sent. Tom. III.

(14) Al. deest membris. (15) Sic Nicolai: al. omittitur & tamquam. (16) Nicolai satis. Ex EDIT. P. NICOL. (d) In Lib. de Fid. contra Manichæos cap. XXI. non contra Maximinum, ut prius cum ibi nihil tale reperitur, sed aliquid analogice huc pertinens Lib. II. cap. XIX. ubi ait, quod Christus in unitate personæ suæ manente invisibilis Dei forma, visibilem hominis formam accepit, & non solum in ea natus est, sed etiam crevit, &c. (e) Cap. XXVI. Nihil tamen in Lib. contra Maxim. quod ad sequentem appendix referri possit: unde manifestum est unum indicem pro alio per inconsiderationem irrepsisse.

K2

In